



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque

Coster, Franciscus

Antverpiæ, 1587

9 Modus audiendi sacrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

do in domo vexata à malo spiritu, sacrificium offerri iussit.) sed etiam præsentes consolatione perfundat, vt meritò cum Dauide clamèt: *Altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus.* Atq. ideo semper pij libenter quotidiano sacrificio adesse solent: sicut de matre sua refert D. Augustinus: & Clerici ad hoc præcepto Concilij primi Toletani tenentur. Vide Theodoret. in Philoth. cap. 20. Psal. 83. Lib. 9. Cõ. fess. ca. 13. Canon. 5.

CAPVT IX.
MODVS AVDIENDI
SACRVM.

TOTVM Missæ officium in tres partes diuiditur: in Præparationem, Oblationem & Communionem. Proinde qui sacrificio adest, tria præstare poterit.

Primò: cum Sacerdote, aut Sacerdotis ministro, deuotè pronuntiabit confessionem, accipietq. generalem absolutionem: Ea enim dimittuntur peccata leuia, si animus ad deuotionem exciteretur. Deinde aliquarum piarum precum, vel Koirarij B. Virginis lectione, aut si malit, pia de Christi vita meditatione se præparabit, mentemq. colliget, idq. vel vsq. ad finem Euangelij, hoc est, ad breuiorem canonem, vel vsque ad *Sanctus*.

Secundò: ab eo loco, vsq. ad *Agnus Dei*, offerret hoc sacrificium Deo Patri cum sacerdote, primò quidem aliquid cogitans de Christi passione, crucifixione, sanguinis effusione, & morte, quæ in hoc sacrificio repræsantantur. Nã Christus licet totus sit sub vtralibet specie viuus

viuus & verus Deus & homo : tamen sub specie panis candidi & insensibilis videtur habere formā mortui : & sanguis in calice sub specie vini quasi effusus cōsideratur. Deinde verò offeret Christum passum & mortuum pro se omnibusque, pro quibus orare tenetur. Rogabit autem Deum Patrē, vt hęc filij sui mortem & passionem suscipere dignetur, in satisfactionem pro omnibus peccatis suis : atque propter illam, dare sibi gratiam rectè viuēdi, in studiis virtutibusq. proficiēdi; & omnia sua prosperare ad diuini nominis gloriam suamq. salutem. Deinde parentibus, consanguineis, præceptoribus, aliisq. sibi commendatis, impetrabit eadem, singulorumq. necessitates exponet. Memor quoq. erit fidelium defunctorum, patriæ suæ, totiusque Ecclesiæ Dei.

Tertiò ab *Agnus Dei*, vsq. ad vltimas orationes Sacri, præparabit sese ad spiritualem communionem : *primò* Deum rogans, vt plena remissione peccatorū, dignetur cubiculum cordis à sordibus purgare: *deinat* petens, vt idē cubiculum velit aulæis atq. tapetibus variarum virtutum ornare: *tertiò*, quanta fieri potest humilitate, orans, vt per os sacerdotis (cui celebranti intentione coniunctus est) in animam suam trāseat, se visitet, iuuet, vitia deleat, infirma corroboret, & ab eo nunquam recedat.

CAPVT